

ab ea separari: E. non est realiter eadem cum Petro, aliàs heri existisset, ubi totus Petrus existit, & omne quod fuit cum eo realiter idē. (2) si plures durationes inter se distinguuntur realiter, nēpe quæ pluribus diebus existunt, etiã differrent realiter à Petro, ut pote qui eas habet successivè, & à singulis successivè separatur. (3) Petr<sup>o</sup> durans hodiè est indifferens, ut duret, vel non duret cras. E. durare hodie, est quid distinctum à durare cras &c.

Th. 17. Sed videamus hæc, non timeamus. Nos nihilominus statuimus, nihil præcluso actu intellectus superaddere existentiæ, cui<sup>us</sup> respectu ab ea distingvatur realiter; quod in DEI duratione tam clarum est, ut qui in eo probando operosus esset, solem facibus juvare conaretur. De duratione autem creata id probatum dare haud difficile censemus (1) quia sola existentia perseverante, secluso omnibus aliis, res se ipsa durat, E. duratio ab existentia non distingvitur. (2) Si duratio esset modus super additus existentia, ut Ruvio vult, l. aliquid reale, illud etiã perseveraret, & sic haberet durationem, aliudq; reale vel modū superadditum, & sic fenestræ aperirentur processui in infinitum à quo sana Philosophia abhorret. (3) Sanè si existentia & duratio realiter differrent, DEUS per suam absolutam potentiam posset ea à se invicem separare & se jungere, & rem quandam in existendo conservare, quæ non duraret, quod è numero *ad unum* esse autumamus, vid. Pererium l. 12. c. 5. p. 653. Addo Existentiã ad durationem æquè se habere, ut productio ad conservationem; quare sicut conservatio à productione, ita duratio ab existentia saltim ratione distingvitur, quia duratio & existentiã dicuntur esse termini conservationis & productionis. Hinc etiã fit, ut idem sit quærere, quamdiu res duravit, ac quærere quamdiu existit.

Th. 18. Ad argumenta pro contraria sententiã quæ allata fuerunt, respondere non est ire per extensum funem, videamus E. quid habeant in recessu. In r. Ruvii neganda est minor non enim solus DEUS per suam substantiam durat, sed etiam creature, quippe quæ perinde ac DEUS non per accidens aliquod, sed per esse suum proprium, quam diu hoc retinet, durat. Quod autem rem à quibusdam dicitur solus DEUS per substantiam suam durare, mens eorum huc redit, quod duratio illi ita sit essentialis,

ut